
Princeton University Library
32101 074358589

2859
#.81

INDICES
SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA CAESAREA
DORPATENSI

PER

SEMESTRE PRIUS ET ALTERUM A. MDCCCLXI

A DIE XX. M. JAN. AD DIEM IX. M. JUN.

ET

A KAL. AUG. AD DIEM XIX. M. DECBR.

HABENDARUM.

L. Mercklin (?)

PRAECEDUNT A. GELLII NOCTIUM ATTICARUM CAPITA QUAEDAM AD FONTES REVOCATA.

DORPATI

EX OFFICINA I. C. SCHUENMANNI VIDUAE ET C. MATTIESENI.

MDCCCLXI.

61

RECAP
2859
8

Ex decreto Senatus Universitatis.

Dorpati d. XVI m. Aug. a. MDCCCLXI.

Dr. Oettingen, Prorector.

Google

Fontium investigandorum studium postquam aliquamdiu intra rerum scriptores substitit, nostro demum seculo proferri coeptum est ad magna illa corpora, quibus eruditionis Latinae Graecaeque proventus uberrimus tanquam in thesauris congestus est vel potius abditus, Plinii dico Naturalem Historiam, Festi Paulique ex Verrio Flacco excerpta, Gellii Noctes Atticas, Isidori Orgines, Nonii Compendiosam doctrinam, grammaticos alios. Idque bene factum, quum ita spes fore arrideat, ut et scriptorum deperditorum imaginem quandam recuperemus et quo pretio res habendae sint absque auctorum nomine traditae paulo certius definiamus. Cuius utilitatis luculentum exemplum suppeditant Suetonii reliquiae ab Augusto Reifferscheid nuper locupletatae insigniter et illustratae. Sed quoniam studia illa tantummodo inchoata sunt, utrumque certatim annitendum est, ut non solum scriptorum, quos in illis collectionibus latere constat, reliquiae undecunque contrahantur, sed etiam ipsarum collectionum rationes intimae magis magisque explorentur. Atque eorum quos supra indicavi plurimum operae in Gellio collocatum esse videtur. Primus enim H. E. Dirksenus, ut iuris Romani inprimis monumenta apud illum obvia vindicaret, praeclaro exemplo praeiverat (Die Auszüge aus d. Schr. d. roem. Rechtsgel. in d. N. A. d. A. Gellius in d. Abhd. d. Berl. Akad. 1851), cuius rationem, singulari libello anno praeterito ex Fleckeiseni Annal. supplementis separatim edito, in ceteris noctium Atticarum partibus persequi nos conati sumus ita ut maxime ex diverso libros citandi modo de fontium generibus iudicium faceremus. Tertius

:ECAP) 2355 .81

Digitized by Google

Münzwesens p. 654) nescio quo auctore Varronis discipulum dixit, et Gellius usi fuerint. Causas autem dissentiendi duas protulit, alteram quod Verrius Flaccus laudetur omnino sexies, quum quidem a Gellio tam saepe auctores laudentur, ut loci, ubi tacite adhibiti sint, non fere excedere debeant eorum numerum ('videlicet non certum dico numerum, sed aequalem quandam mensuram'), ubi additum nomen est; alteram quod laudum, quibus alios Gellius extulit, ubi citatur Verrius nulla extet littera. Atque quam priore loco communem legem posuit, ea videtur mihi ex earum numero esse, quae nulla certa experientia nitantur. Quod ut comprobem, capita quaedam Gellii, quae tabula mea non comprehensa sunt, indicabo, eidem Verrio vindicaturus. Libri III capite XV Gellius mortis repentinae quam attulerit gaudium ingens insperatum exempla profert (quamquam in lemmate est 'Extare in literis perque hominum memorias traditum, quod repente ***multis*** mortem attulit cet.) Graecorum tria ex Aristotele Polycritae, praeterea Philippidis comici poetae, Diagorae Rhodii, Romanorum unum 'ex annalibus nostris' matris illius, quae exspiravit filio viso, quem Cannensi proelio occubuisse falso nuntiatum erat. Iam vero apud Plinium n. h. VII, 180 haec leguntur: 'In primis autem miraculo sunt at qua frequentia mortes repentinae. — Plurimas prodidit ***Verrius,*** nos cum delectu modum servabimus (sequuntur Graecorum. exempla a Gellianis diversa); mater pugna illa Cannensi, filio incolumi viso contra falsum nuntium', quae ex Verrii libris rerum memoria dignarum petita esse Muellerus praef. Festi p. XIII probabiliter statuit. Quibus libris quum Gellius IV, 5 nominatim usus sit, non solum nihil obstat, quin eosdem iterum advocaverit, sed hoc vero videtur esse simillimum. Casu enim factum arbitror, quod exemplorum Gellianorum unum tantum apud Verrium Plinii redit, qui ex plurimis delectu facto modum servaturum se promiserit. Verrium autem auctorem Gellio fuisse accedunt alia indicia. Videtur ille in libris rer. mem. dign. condendis eandem fere rationem secutus esse atque in prolixo de significatu verborum opere. Plurima enim exempla posuerat. Singulis auctorum nomina ad-

Digitized by Google

didit, quorum et Aristoteles et 'annales nostri' apud Gellium comparent. Verrium autem annales maximos adhibuisse in his libris ipse Gellius nos docuit IV, 5, 6. Denique non mirabimur, si quaedam utrique operi Verriano communia fuerint. Atque ut Gell. IV, 5, 1 in tabula nostra cum Fest. p. 290ᵇ Statua contulimus, sic mortis repentinae exemplum extat apud Fest. p. 209ᵃ Pictor Zeuxis, neque apud Gellium neque apud Val. Maximum qui totum l. IX c. 11 de mortibus non vulgaribus habet obvium, cui tamen alia cum Plinio sunt communia. — Eosdem Verrii libros Gellius iterum X, 2 adhibuisse videtur, ubi de numero puerperii primum Aristotelis auctoritas deinde eorum 'qui ***divo Augusto imperante*** temporum eius historiam scripserunt' affertur. Rursus enim excerpta habemus ex scriptore, qui Graecos Romanosque libros adierit, habemus Aristotelem, ('Aristoteles philosophus memoriae tradidit mulierem ***in Aegypto*** uno partu quinque pueros enixam'), et historicos Romanos, quos commode Verrius Flaccus memorare potuit, qui Suetonio teste de gram. 17 aetatis exactae sub Tiberio discessit. Iam cum his compara Plinium n. h. VII, 33 'Tergeminos nasci certum est Horatiorum Curiatiorumque exemplo; supra inter ostenta dicitur, praeterquam ***in Aegypto***, ubi foetifer potu Nilus amnis. Proxime ***supremis Divi Augusti***, Fausta quaedam e plebe Ostiae duos mares, totidem feminas enixa', quae ut alia eiusdem libri ex Verrio, quamvis semel tantum memorato, Plinius hauserit. Gellium sua non ex Plinio petisse, cuius septimi libri § 40 et 42 de simili argumento disserens, attulit III, 16, in aperto est, sed communem utriusque fontem subesse coniicere nihil vetat. — Sed aliorum quoque Verrii librorum vestigia apud Gellium extare suspicor a me in tabula illa praetermissa. Atque librorum de obscuris Catonis usum ipse Kretzschmerus non potuit quin agnosceret. Idem vero p. 57, X, 11 § 3 Nigidio tribuit, cuius verba § 2 praecedunt. De reliquo autem capite cohibuit sententiam, quod mihi ad Verrium pertinere videtur. Etenim quae § 5 sequuntur ex Augusti epistolis petita non possunt esse a Nigidio prodita, quippe a. u. 710 defuncto, quaeque de Vergilio

Digitized by Google

§ 6 et 7 extant iam Hertzius verissime (de Nig. Fig. p. 46) ab eodem abiudicavit. Contra eadem apud Verrium extitisse satis probabile. Verrium enim de festinandi et properandi discrimine disputasse non solum ex ipso Gellio XVI, 14, 3, sed etiam ex Festo p. 234[b], 18 sq. certum est, unde haec ad libros de obscuris Catonis revocavi (Citiermethode p. 661) assentiente Kretzschmero p. 75 sq. (Sueton. reliq. ed. Reiffersch. p. 285). Eadem vero Catonis verba, a quibus l. XVI, 14 proficiscitur, Verrio de propria vocabuli mature potestate disserendi copiam praebere potuerunt, id quod l. X, 11 factum esse vidimus. Atque revera Verrium disseruisse de hac voce et synonymo propere rursus Festus evincit p. 229[a], 7: 'Properus antiquos dixisse pro celer, testimonio est qualitatis adverbium, quod est propere' et Paulus p. 115, 'Mane a diis manibus dixerunt. Nam mana bona dicitur, unde et Mater Matuta et poma ***matura***' cf. p. 122. 'Matrem Matutam — et ***maturum*** idoneum usui'. Gell. l. l. § 3. 'Nam et in frugibus et in ***pomis*** 'matura' dicuntur quae neque cruda et immitia sunt neque caduca et decocta, sed tempore suo adulta maturataque'. Supersunt eiusdem capitis Gelliani §§ 8 et 9, quibus de praematuro et praecoce sermo est. Harum autem vestigia nobis refert Nonius p. 51 v. Maturare, eodem versu Vergiliano usus, et p. 150 Praecox et Praecoqua, p. 156 Praecox, quae quum alia prorsus exempla suppeditent, non potest ab ipso Gellio accepisse. Quibus perpensis eo ducimur, ut Gellium totum caput 11 libri III ab Verrio Flacco derivasse credamus, quanquam nunc in Festi Paulique reliquiis Nigidii nomen non conspicitur. — Addam his alia etiam incertiora, sed quoniam ea cum nullius, nisi Verrii Flacci auctoritate licet tenuissimo filo video coniuncta. Caput 12 libri VI, quod ex Varrone (§ 8) propter locum eius abrupte et nude positum repetere merito recusavit Kretzschmerus p. 47, Verrio dederim, quoniam ex Paulo p. 176 v. Nequam apparet Verrium de eo vocabulo et quae inde descendit nequitia olim dixisse, et quum inter auctores a Gellio adhibitos nullus sit, quo non alibi Verrius uti soleat, atque eidem ob easdem causas l. VI c. 17, quum apud Paulum p. 191

Digitized by Google

servatum sit 'Obnoxius poenae obligatus ob delictum' rursusque exempla omnia, quae Gellius prodidit, Verrianam consuetudinem redoleant. Denique ad eundem Verrium revoco libri XI caput 7, quo trium verborum obsoletorum, quae sunt 'apluda, flocces, bovinator' potestas explanatur. Quae vocabula quum apud Nonium extent, qui flocces versu Caecilii illustravit, cuius sedem tantum innuit Gellius, Kretzschmerus p. 34 statuit, Nonium sua ex Gellio derivasse, sed 'ab accurato examine non abhorruisse'. Idem vero quum praetermiserit, 'apludam' atque 'bovinatur' apud Paulum quoque extare p. 10. 30, mihi iustius de communi Gellii Noniique fonte cogitandum videtur, quem ipsum Verrium fuisse arbitror. (cf. Gerlach. praef. p. XV.) Nam quod Nonius Plauti comoediam a Gellio ita laudatam 'si ea Plauti est, quae Astraba inscripta est' (§ 5) fortuita prudentia, ut Ritschelii verbis utar (Parerg. p. 131), pariter significavit his verbis: 'quanquam et Plautus in Astraba fabula ita dixerit, cuius incertum est, an sit eius comoedia; atque ideo versus eosdem ponere supersedimus', id mea quidem sententia non solum non probat, Nonium 'haec omnia ex Gellio habere', sed quae de versibus omissis addit, hoc potius efficiunt, eundem ab alio auctore pendere, quum Gellius apludae usum nullo versu illustraverit. Neque profecto opus, ut illud Gellii de incerta Plauti fabula, quae Astraba inscripta est, iudicium ab ipso Gellio profectum sit, quae Ritschelii fuisse videtur sententia, qui si eam notitiam a Gellio non alienam habuit, tanto magis credo Verrio tribuere non recusabit. At enim sic ad Varronem potius quam ad Verrium deducimur. Neque profecto leviter Kretzschmerum supra vidimus Varronem omnino indicasse auctorem, quem saepenumero Verrius et Gellius tacite secuti sint. Quod quum in universum per se satis probabile sit, tamen communis legis vicem obtinere non potest. Kretzschmer. p. 43. n. 1. p. 46. n. 1. 2. Quoniam autem plurima et Verrii et Varronis opera perierunt, multa quidem inde frustulatim ab aliis auctoribus servata sunt, plura etiam apud eosdem delitescunt, discrimen plerumque inde pendebit, an nobis contigerit res a Gellio memoratas cum

Digitized by Google

Varronis aut Verrii reliquiis copulare, ut nisi aliunde causae gravissimae accedant, in opinandi, suspicandi, divinandique gradu subsistamus oportet. Quae res si secus essent ne in Varrone quidem gradum continebimus. Quid enim? Nonne ipsum Varronem tralaticio illo scribendi genere usum novimus (cf. Ind. schol. Dorp. a. 1858), ut Gellius, qui quosdam annalium scriptores ipse legisse credendus sit, non ex Varrone, sed ex iisdem fontibus hauserit eadem, quae non ex illis, sed ex Varrone Verrius repetivit? Cuius rei anquirendae etsi rarior dabitur occasio, tamen apud Gellium non desunt capita, quorum origo utrum a Varrone an a Verrio repetenda sit quam maxime controversum esse potest. Quorum nunc unum exemplum protulisse sufficiat. Libri VII capite 17 brevissima bibliothecarum publicarum notitia continetur, quae quum ad verbum fere cum Isidoro VI, 3 concinat, possit ex Suetonio sumta videri, quem operi de Romanarum litterarum viris illustribus epimetri loco addidisse de bibliothecis deque omni re litteraria disputationem, eamque in suum usum convertisse Isidorum Reifferscheidius p. 419 sqq. argumentis haud debilibus contendit. Sed eiusdem diligentiam et caput Gellianum effugit in superiore annotatione fragmento 102 addita, neque memor fuit v. d. Varronem tres de bibliothecis libros condidisse, quos et Plinium advocasse probabile est (Ritschl. mus. rh. n. VI, p. 513), neque non praeteritos fuisse Suetonio post ea quae de Varronis copiis p. 423 et 474 sq. exposuit, infitias ibit. Idem vero quum l. l. Suetonio modice usum esse Gellium pronuntiaverit, licet eundem alibi tacite secutus sit (p. 427, 467), inter Suetonium et Varronem capitis Gelliani fontem anceps fortasse haerebit iudicium. Verum accedit tertius non negligendus auctor Verrius. Apud Paulum enim p. 34 haec teguntur: 'Bibliothecae et apud Graecos et apud nos tam librorum magnus per se numerus, quam locus ipse, in quo libri collocati sunt, appellatur' quibuscum conferendus Isidorus VI, 3, 1: 'Bibliotheca a Graeco nomen accepit, ab eo quod ibi recondantur libri. Nam βιβλίων librorum, θήκη repositio interpretatur'. Ex quo consensu primum apparet Verrium atque Isido-

Digitized by Google

rum (i. e. Suetonium) eodem fonte usum esse, Verrium autem quem tandem respexisse credamus, nisi Varronem? Nobis vero ne cum Festo quidem sed cum Paulo res est, ut Verrium praeter vocabuli definitionem alia de ipsa re addidisse ex Varrone suspicari liceat. Atque in ipsa vocabuli forma Varronis vestigia nobis deprehendere videmur, qui plurali numero ad librorum Graecorum et Romanorum credo collectionem significandam uti soleat. Gell. III, 10, 7. Plin. n. h. XIII, 70. Suet. Iul. 44. Isid. VI, 5, 2. Iam Gellii notitia quum et brevior sit Isidoriana (c. I et 3) et nihil contineat, quod non a Varrone memoratum esse possit, controversum erit, utrum e Varrone an e Verrio fluxerit. Nescimus quidem quo anno Varro suos de bibliothecis libros composuerit, sed nobis cum Ritschelio p. 513 consentaneum videtur statuere id non factum esse antequam Caesar ei curam librorum publice legendorum demandaret (Suet. Iul. 44. Isid. VI, 5, 1), quod et post annum u. 707, quo Alexandrini thesauri combusti sunt verisimile est et ante Caesaris mortem a. u. 710 necessarium*). Atque possit aliquis id ipsum quod Gellii notitia in illo anno desinit indicio habere Varronianae originis, et quod nihil de Romanis bibliothecis publicis, quae tum quidem nullae fuerunt additum habet, sed quum illos Varronis libros neque usquam Gellius laudet, neque quidquam, quod iis probabiliter tribui possit, alibi praebeat, et quum brevissima sit notitia, nihil profecto obstat quominus eam Verrio acceptam referamus, cui Varronis copias contrahendi quam amplificandi plures causae fuerint. — Multo brevius ad alterum argumentum responderi poterit a Kretzschmero contra frequentem Verrii usum prolatum. Laudum quibus alios extulit Gellius ubi Verrius citetur nullam extare litteram, immo ex verbis eius XVII,

*) Quae si recte se habent, non poteat esse ambiguum, Plinium VII, 115 notitiam de Asinii Pollionis bibliotheca ex manubiis belli Parthici publicata (eandem repetit Isid. VI, 5, 2) non ex Varrone sed aliunde hausisse, quum id inter a. u. 716 et 720 acciderit (Peter. roem. Zeittafeln p. 355).

Digitized by Google

6, 4 'Cum pace cumque venia istorum siqui sunt, qui Verrii Flacci auctoritate capiuntur, dictum hoc sit' apparere non ita magno in honore eum habuisse. Nolo urgere quod idem Gellius I, 18, 5 de Varrone et XV, 3, 5 de Nigidio, quos doctrinarum atque artium columina nuncupat (XIX, 14, 1), minus honorifice locutus est; auctoritatem enim Verrii Gellius et l. l. et XVI, 14, 4 improbavit, i. e. propriam eius de etymologica vocabulorum ratione sententiam, non vero fidem atque industriam, qualis in rerum atque exemplorum colligendorum ubertate vel apud Festum reliqua conspicitur. Itaque non secum pugnare video, quod cuius auctoritatem non magni faceret, tamen copiis sibi utilibus congestis frequenter utebatur. Nam ex eo fere genere sunt, quae ex Verrio tacite attulisse Gellium ivimus demonstratum, atque id ipsum aliquatenus facit ut intelligamus, cur non saepius eius nomen relatum legamus. Apposite enim quae nobis favent, Kretzschmerus monuit p. 11: 'Ut enim iudicium aliquod vel excogitatum vel narratum certi cuiusdam ingenii est et proprii, ita exempla quivis unus eadem eodem modo proferre potest' — cf. p. 85.

Adiiciam hoc loco mantisae instar nonnulla, de quibus in libello meo aut minus recte disputatum est, aut quae ibidem praetermissa sunt suppleturus. Sic p. 650 sq. ubi de duobus libris a Gellio 'et' particula copulatis agitur, qui tamen pro uno fonte habendi sint, commemorare poteram I, 22, 19: 'Ita enim scriptum est in libro epistularum M. Ciceronis ad L. Plancum et in epistula (M.) Asini Pollionis ad Ciceronem' qua citatione unam libri X ad familiares epistulam 33 significari me commonefecit Bruno Nake (Historia crit. M. Tulli Ciceronis epistular. Bonae 1861 p. 24.) — Deinde nihil erat cur p. 667 de fonte capitum 15 et 16 libri V assequendo desperarem. Quorum et argumentum simile atque ordinem rerum sibi constantem eiusdem auctoris vestigia referre manifestum erat. Iam lemmate priore consulto 'Corpusne sit vox an ἀσώματον, varias esse philosophorum sententias' non debet obscurum esse, nos Calvisii Tauri, philosophi Berytii reliquias libri περὶ σωμάτων καὶ ἀσωμάτων (Suid. Ταῦρος) tenere. Accedit quod simillima est structura

capitis 5 libri IX, quo ipsum Tauri nomen in extremis continetur, quodque eundem ad philosophiam capessendam hortantem habemus VII, 10 § 1 'cum aliis bonis multis salubribusque exemplis hortabatur ad philosophiam capessendam, tum', dehortantem X, 19. Sed quoniam eundem nusquam litterarum Romanarum peritum esse apparet, dictum Ennianum utrique capiti adiectum ab ipso Gellio oportet. — Pag. 705 libelli nostri de ratione dictum est, qua Gellius in disponendis et transponendis excerptionibus suis usus fuerit. Atque ordinis genuini vestigia capita illa duo triave sese excipientia ex eodem auctore ducta satis aperto indicio monstrant. Quem ordinem disparilitatis causa vario modo Gellius mutavit. Lenissima autem mutandi ratio ea videtur, ut duo capita eiusdem auctoris tertio alienae originis dirimeret, cuius moris exemplum Kretzschmerus p. 46 tetigit. Sed extant eius rei plura VI, 7 et 9 e Probo, VI, 14 et 16 ex Varrone, XIX, 2 et 4 ex Aristotele, ut ipso more uti liceat ad investigandos fontes. Sic libri IX non solum caput 13 ex Claudii Quadrigarii annalium primo expresse Gellius traduxit, sed indidem tertium quod antecedit caput 11 repetendum est. Summa quippe utrumque inter se comparanti similitudo apparebit. Utraque enim historia cognomentorum explicandorum causa proponitur Corvini et Torquati (11 § 8. — 13 § 2. 3), utriusque narrationis idem habitus, utriusque capitis structura eadem. Atque ut apud Livium VII, 9. 10 non desunt vestigia eum Quadrigarii narratione usum esse (cf. Liv. VI, 42, 5 unde patet ab eo Quadrigarium hoc loco consultum), ita eiusdem c. 25, 26 Weissenbornius cum Gelliano 11 conspirare observavit. Inde sequitur Gellium c. 11 § 10 de suo adiecisse. Consulum quoque praescriptionem 11, 3 obviam alibi redire videmus, ubi ex Quadrigario Gellius hausit e. g. III, 8, 6. — Quum in libello meo neque id egerim, ut omnium Gellii librorum capitumque deinceps fontes indagarem, neque, quod Kretzschmeri consilium est, omnes auctores secundum classes recenserem, sed potius exemplis quibusdam passim selectis quam ille rationem in adhibendis libris citandisque secutus sit docerem, multa sciens praeterii,

Digitized by Google

quorum nunc unum atque alterum promam. Sic Valerio Probo, cui Kretzschmerus p. 82 sqq. quaedam feliciter tribuit, nonnulla vindicanda superesse sentio. Atque primum libri I caput 16 ita comparatum est, ut omnia Probianae originis indicia contineat, quibus ille in aliis confisus est. Habemus enim eandem illam exemplorum solutius positorum (§ 2—5) multitudinem et antiquitatem, habemus § 8 Graecae dictionis comparationem, accedit denique ne quid praeterierim praecedenti capite Valerii Probi ex familiari eius mentio. Nam quod Kretzschmerus p. 72 nostrum caput cum Festi p. 158ᵃ Mille urbium et p. 153ᵇ Mille laceris reliquiis contulit, Verrianae doctrinae vestigia suspicans, ipse v. d. intellexit magis cum uu. dd. coniecturis quam cum Festi verbis rem esse, priore autem loco abstinere debebat, quum et ipsum lemma Mille urbium et Graeca dictio χιλιὰς πόλεων lacunis hausta sint. — Eidem Valerio assignaverim VII, 16 licet pauciora argumenta suppetant; namque exempla nec multa apparent nec tantum antiqua; sed non deest Graecae dictionis similitudo adhibita § 11, et maxime Nonii consensus valet p. 290 v. Deprecor, qui et alibi Probi copiis usus est (Kretzschmer p. 90), quanquam nunc neque plura quam Gellius exempla protulit, sed nonnulla adeo omisit. — Neque ab eodem alienas censeo l. XVII c. 2 §§ 5—9, de quo loco disputavit Kretzschm. p. 32 sq. Versatur enim totus locus in usu verborum passivorum aut deponentium, de quibus XVIII, 12 exempla proposita sunt, ad Probi auctoritatem a Kretzschmero revocata p. 88 sq. Deinde exemplum ex epistula Q. Metelli exulis ad Domitios missa nobis in memoriam revocat XV, 13, 6, quod caput cum sequenti, ubi rursus Metelli verba laudantur, ad Valerium pertinere Kretzschmerus docuit p. 86, 88. Nonius vero p. 113 v. Fruniscor Metelli quidem locum omisit, sed Lucilianum habet, quo Gellius abstinuit, unde eodem fonte communi utrumque usum esse stabilitur. Quae autem praeterea partes capitis 2 Valerio debeantur, nunc in incerto relinquam, nam et graecae dictiones § 11 et 13 et 'consermonari' § 17 eius auctoritatem latius pertinere innuere videntur. — Rursusque ad primum Gellii librum re-

Digitized by Google

vertor, caput 7 Valerio ut tribuam. Exempla infinitivi futuri activi sine genere et numero adhibiti praeter Gellium unus quod sciam posuit Priscianus IX, 7, 39 p. 475 H., qui in praecedentibus 33 et 34 bis Probum auctorem profert. Ea exempla licet a Gellianis diversa sint, tamen et ex antiquioribus petita omnia neque frustula Graeca apud Gellium desunt, quorum unum ποιήσειν convenit adeo cum eo, quod apud Priscianum est: 'Cato in V originum: illi polliciti sese facturum omnia per ellipsin 'esse' pro 'factum ire', quod Graeci dicunt ποιήσεν, quod est infinitum futuri'. Alter, cuius exemplis historicis frequenter usum esse Gellium coniicimus erit C. Iulius Hyginus. Ex quo quum aperte l. VI c. 1 sumtum sit 'Nam et C. Oppius et Julius Hyginus aliique qui de vita et rebus Africani scripserunt' — C. Oppium 'de vita prioris Africani' laudat Charis. p. 147 Keil —, alia quoque Gellio de eodem Scipione memorata indidem fluxisse proclivis coniectura est. Itaque primum l. IV c. 18 eidem Hygino dederim, quem non singularem de Scipione scripsisse libellum, sed in opere de viris illustribus (Gell. 1, 14, 1) egisse probabiliter statuit Bunte p. 39. Lemmata utrisque capitis simillima: VI, 1 'Admiranda quaedam ***ex annalibus*** sumta de P. Africano superiore', IV, 18. De P. Africano superiore sumpta quaedam ex annalibus, memoratu dignissima', qua praescriptione priore loco, ubi C. Oppii Iulii Hygini aliorumque, qui de vita et rebus Africani scripserunt mentio succedit, nihil aliud significari posse videtur, quam hos annalium scriptores adhibuisse, unde hoc saltem loco 'aliique' non inanis magniloquentiae formula habenda erit. (cf. § 6. 'quod idem illi, quos supra nominavi'.) — Apertius etiam tertio loco, l. III, c. 4, eorundem auctoritas significata est: 'In libris, quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus', quae ad Hyginum spectare ante nos Bunte p. 37 coniecit. Atque occultius eorundem librorum usus mihi subesse videtur l. VII, c. 8, 3. 5. 6, ubi unius saltem annalium scriptoris Valerii Antiatis dissensus § 6 notatur. Denique eidem Hygino, ex cuius libro sexto de vita rebusque inlustrium virorum C. Fabricii Luscini dictum relatum est, propter argumenti continuitatem tribuo IV, 8,

Digitized by Google

ubi rursus § 8 'pleraque historia' a Gellio commemorata Hygino, quod modo suspicabamur, veteres annales consultos fuisse ostendit. — Superest ut breviter dicam de VI, 19, cuius lemma 'Historia ***ex annalibus*** sumpta de Ti. Graccho' conspirat cum lemmatis supra positis, deinde ut IV, 18, commemorantur exempla. § 1 '***in exemplis*** repositum est'. In fine § 8 ut VII, 8, 6 Valerii Antiatis dissentiens memoria addita. Quae quantopere ad Hygini auctoritatem nos revocent, in aperto est, ut fere de ea sententia, quam Hertzium in indice secuti, ipsi in libello amplexi fueramus p. 668, atque post nos Kretzschmerus p. 5, nunc decedere cogamur. Extabant enim Hygini praeter libros de v. et r. vv. ill. Exempla (Gell. X, 18, 7), de quorum operum discrimine cf. Bunte p. 40. — Claudam has observationes ita, ut omnia quae Gellius de adiectivis in-osus desinentibus protulit a Nigidio sumta videri pronunciem, i. e. III, 12. IV, 9. VI, 12. IX, 12. Tribus enim locis III, 12. IV, 9. IX, 12 expressis verbis Nigidii commentarii grammatici tanquam fundus huius disputationis indicantur. Vocabuli autem 'vinosus', quod III, 12, 3 et IV, 9, 12 sine exemplo commemoratur, exemplum habemus VI, 12, 5. Kretzschmerus autem, qui eos locos tetigit p. 31, 55 et 56, in incerto rem relinquere maluit, quod Nonii ope se destitutum sentiret. Sed Nonius tamen bis plura quam Gellius subministrat, invidiosum enim, quod apud Gell. IX, 12, 1 sine exemplo extat, versibus Lucilii illustravit p. 126, id quod falso negat Kretzschmerus p. 31, et virosum (Gell. VI, 12, 5) idem exhibet p. 21 Virosae cum Lucilii et Afranii exemplis. Quae quum a Gellio accepisse non possit, atque s. v. Infestus p. 51 (cf. Gell. IX, 12) ipse Nigidium auctorem laudet, confecta res est. Accedit quod et eorum nominum, quae IV, 9, 22 sine exemplis Gellius profert, Nonius aliquot praebet, Mulierosus p. 28, Morosus p. 428, Famosus p. 305, Disciplinosus p. 463. Nonius igitur sua aut uni Nigidio debet aut saltem non uni Gellio, Gellius vero minimum ea, quae ipsi cum Nonio communia sunt, Nigidio.

Digitized by Google

I. Scholae Ordinis Theologorum.

HENRICUS KURTZ, D., Exegeticae et linguarum orientalium P. P. O., Ord. Theol. h. t. Decanus: 1) Archaeologiam biblicam tradet sec. F. Keilium (Hdb. d. bibl. Archaeol., Frankf. 1858) dd. Mart. et Merc. h. V et VI et d. Jov. h. V; 2) Vaticinia Hoseae, Joelis, Amois et Obadiae explanabit d. Iov. h. VI et d. Ven. h. V et VI; 3) in Seminario theologico librorum V. T. historicorum partes poeticas interpretandas proponet.

ARNOLDUS CHRISTIANI, D., Theologiae practicae P. P. O., ad concionandum in sacris academicis publice constitutus: 1) Theologiae practicae partem II (Homileticam et Liturgicam) exponet sec. Nitzschium (Pract. Theol., Bd. II, Bonn 1848) dd. Lun. Mart. Jov. Ven. h. XII et dd. Mart. et Ven. h. XI; 2) in Seminario theologico exercitationes homileticas et catecheticas moderabitur d. Merc. h. X. et XI.

ALEXANDER AB OETTINGEN, D., Dogmat. et Moral. Theol. P. P. O.: 1) Dogmaticae partem II sec. Schmidium (Dogm. d. luth. Kirche, 4. Aufl., Erlang. 1859) dd. Lun. Mart. Iov. Ven. Sat. h. X; 2) Pauli ad Romanos Epistolam explicabit, dd. Merc. Ven. Sat. h. IX; 2) in Seminario theologico Augustini selecta capita interpretanda proponet d. Jov. h. XI.

MAURITIUS AB ENGELHARDT, D., Historiae ecclesiasticae et litter. theol. P. P. O.: 1) Historiae ecclesiasticae partem I sec. Kurtzium (Hdb. d. allg. Kirchengesch., Bd. 1, Abth. 1—3, 2. Aufl,

Digitized by Google

Mitau 1858) tradet quinquies h. VIII; 2) Encyclopaediam et methodologiam theologiae sec. Hagenbachium (Theol. Encycl., 5. Aufl., Lpz. 1857) dd. Lun. Mart. Iov. h. IX; 3) in seminario theologico Eusebii historiae ecclesiasticae librum secundum interpretandum proponet d. Jov. h. III.

* * *

IOANNES LUETKENS, theol. Mag., eccles. Univ. pastor, ad doc. publice constitutus, et in Gymn. Dorpat. praeceptor sup. ord.: 1) Historiam et dogmata sectarum protestantium potissimarum tradet sec. Guerickium (Symbolik, 2. Aufl., Lpz. 1846) dd. Lun. et Mart. h. IV; 2) Linguae hebraicae etymologiam adiunctis exercitationibus analyticis sec. Sefferum (Elementarb. d. hebr. Spr., 2. Aufl., Lpz. 1854, d. Merc. h. IV et d. Sat. h. IV et V.

II. Scholae Ordinis Iureconsultorum.

CAROLUS DE RUMMEL, D., Iuris provincialis Livoniae, Esthoniae et Curoniae P. P. O., Ord. Iurec. h. t. Decanus: 1) Processum civilem provincialem ordinarium docebit sec. fontes, quater h. IX et d. Ven. h. X; 2) Processum civilem provincialem extraordinarium cum arte referendi et decernendi sec. fontes ter h. X; 3) Practicum processus civilis moderabitur d. Sat. h. IX, X, XI.

VICTOR ZIEGLER, D., Iuris Criminalis, Processus Criminalis, Historiae Iuris et Litterarum iuridicar. P. P. O.: 1) Processum communem criminalem docebit sec. Planckium (Syst. Darstellg. d. deutsch. Strafverfahrens, Göttg. 1857) ter h. V; 2) Institutiones Iuris Romani profitebitur sec. Muellerum (Lehrb. d. Instit., Lpz. 1858) ter h. VIII dd. Iov. h. VIII et IX; 3) De singulis iuris publici capitibus disseret sec. rationem propriam d. Sat. h. XII.

Digitized by Google

OTTOMARUS MEYKOW, D., Iuris civilis tam Romanae quam Germanicae originis, Iuris administrationis generalis et Iurisprudent. pract. P. P. O.: 1) Pandectarum partem II tradet sec. L. Arndtsium (Lehrb. d. Pand., 3. Aufl., München 1859) ter h. XII et d. Iov. h. X; 2) Philosophiam iuris sec. L. A. Warnkoenigium (Philos. iuris delin., 2. Aufl., Tübg. 1855) ter h. X; 3) Exercitationes practicas moderabitur hora definienda.

AUGUSTUS BULMERINCQ, D., Iuris Publici, Iuris gentium et Politicae P. P. O., iudicii Univ. appellatorii et revisorii praeses: 1) Ius gentium docebit sec. librum suum (Systematik d. Völker, Dorp. 1858) et Heffterum (d. Europ. Völkerr. d. Gegenwart, Berl. 1855) quinquies h. XI; 2) Politiam sec. Mohlium (d. Polizeiwiss., Tübg. 1844) ter h. VI.

IOANNES ENGELMANN, iur. mag., Iuris Rossici P. P. E. O. vicarius: 1) Processum Rossicum civilem ordinarium et extraordinarium cum arte referendi et decernendi tradet sec. Cod. Imp. ed. a. 1857, quater h. III. et d. Mart. h. XI; 2) Processum Rossicum criminalem ordinarium et extraordinarium, sec. Cod. Imp., quater h. IV et d. Merc. h. XI.

Cathedra Iuris Rossici altera vacat.

* * *

OSWALDUS SCHMIDT, iurispr. mag., ad docendum publice constitutus: Encyclopaediam iurisprudentiae tradet, sec. F. Walterum (Iur. Encycl., Bonn 1856) dd. Lun. Merc. Ven. h. XII.

III. Scholae Ordinis Medicorum.

RUDOLPHUS BUCHHEIM, D., Diaeteticae, Materiae medicae, Historiae med. et litterar. med. P. P. O., Ord. med. h. t. Decanus: 1) Pharmacologiae partem I exponet sec. libr. a se ed. (Lehrb. der Arzneimittellehre, Leipzig 1859) quinquies h. IX; 2) Historiam

Digitized by Google

artis medicae sec. Haeserum Lebrb. d. Gesch. d. Med., Iena 1853) d. Merc. Iov. Ven. h. VIII; 3) Encyclopaediam et methodologiam disciplinarum medicarum sec. Foersterum (Grundr. d. Encycl. u. Method. d. Med., Iena 1857) d. Iov. h. X; 4) Medicinae studiosis ad disquisitiones practico-chemicas viam monstrabit dd. Mart. et Ven. h. III.

GEORGIUS ADELMANN, D., Chirurgiae P. P. O.: 1) Clinicam chirurgicam et ophthalmiatricam moderabitur quotidie h. X; 2) Operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis in cadaveribus instituendis praeerit quotidie h. IV et V.

FRIDERICUS BIDDER, D., Rector Universitatis, Physiologiae et Pathologiae P. P. O.: 1) Physiologiae generalis et specialis, experimentis et demonstrationibus illustratae partem I docebit sec. Dondersium (Physiol. d. Menschen, Leipzig 1859, 2. Aufl.) quinquies h. IX; 2) Anatomiam pathologicam, sec. Foersteri enchiridion, Lips. 1857 editum d. Lun. h. IX et X et d. Sat. h. IV et V.

GUIDO DE SAMSON-HIMMELSTIERN, D., Medicinae politicae P. P. O.: 1) Hygieinen publicam et Politiam medicam civilem sec. Schürmayerum exponet (Handbuch d. med. Polizei, Erlangen 1856, 2. Aufl.) et sec. Cod. Imp. Ross. ed. a. 1857 dd. Mart. Merc. Iov. Ven. h. VI; 2) Practicum et casuisticum medicoforense instituet dd. Merc. et Ven. h. V; 3) Exercitationes clinicas in nosocomio moderabitur quotidie h. XII.

CAROLUS CLAUS, D., Pharmaciae P. P. O.: 1) Chemiae pharmaceuticae partem II, (coniunctiones organicas) exponet sec. Gottliebium et Streckerum in usum pharmaceutarum, quinquies h. IX; 2) Pharmaciam sec. Gottliebium medicinae studiosos docebit, quinquies h. XI; 3) Exercitationes analyticas cum medicinae et pharmaciae studiosis instituet dd. Merc. et Ven. h. II.

ERNESTUS REISSNER, D., Anatomiae P. P. O.: 1) Anatomiae de-

Digitized by Google

scriptivae partem I. sec. Hyrtlium (Handb. d. Anat. d. Menschen, 5. Aufl.) quinquies h. XII; 2) Anatomiam microscopicam sec. Koellikerum (Handb. d. Gewebelehre, 3. Aufl.) d. Lun. h. XI et XII et d. Merc. h. XI; 3) Exercitationes anatomico-microscopicas instituet d. Ven. h. II et III et d. Sat. h. II, III, IV.

GEORGIUS AB OETTINGEN, D., Prorector Univ., Chirurgiae P. P. O.: 1) Chirurgiae theoreticae partem II tradet sec. Wernherum (Hdb. d. allg. u. spec. Chir., Giess. 1846—56) quater h. VIII; 2) Ophthalmologiam sec. Arltium (Krankh. d. Auges, Prag 1851) dd. Lun. et Mart. h. IV et dd. Ven. et Sat. h. VIII.

IOANNES DE HOLST, D., Artis obstetriciae, et scientiae morbor. mulier. et infant. P. P. O.: 1) Artem obstetriciam docebit sec. Spiegelbergium (Lehrb. d. Geburtsh., 1858) quotidie h. X; 2) Clinicam obstetriciam moderabitur quotidie h. IX.

VICTOR WEYRICH, D., Therapiae et Clinices P. P. O.: 1) Pathologiam et therapiam specialem tradet sec. Wunderlichium (Handb. etc., Stuttg. 1852—57), quinquies h. IV; 2) Exercitationes policlinicas moderabitur quotidie h. XI.

ADOLPHUS WACHSMUTH, D., Therapiae et Clinices P. P. O.; 1) Exercitationes clinicas therapeuticas stationarias et ambulatorias moderabitur, quotidie h. XII; 2) Pathologiam et Therapiam morborum psychicorum tradet sec. Griesingerum (d. Path. u. Ther. d. psych. Krankh., Stuttg. 1845) dd. Lun. et Mart. h. VIII.

CAROLUS KUPFFER, D., Prosector et P. P. E. O.: 1) Anatomiae descriptivae partem II sec. Hyrtlium (Lehrb. d. mensch. Anat., 5. Aufl., Wien 1857) tradet quotidie h. VIII; 2) Exercitationes anatomicas moderabitur quotidie h. II et III.

Cathedra Therapiae generalis et anatomiae pathologicae vacat.

* * *

Digitized by Google

ARTHURUS BOETTCHER, D., ad docend. publice constitutus, ex Superiorum mandato ad consilia litteraria exequenda in terras exteras missus est.

FRIDERICUS BECKMANN, Mag. phil., Apothecarius doctus: Propaedeuticen mathematico-pharmaceuticam tradet sec. Wiegandium (Lehrb. d. Mathem., 5. Aufl.) et Stammerum (Sammlung v. chem. Rechenaufgaben für Pharmaceuten, Fabrikanten) quotidie h. VIII.

IV. Scholae Ordinis Historicorum et Philologorum.

